

- Tunc rudis et Graias mirari nescius artes 100  
urbibus euersis praedarum in parte reperta  
magnorum artificum frangebatur pocula miles,  
ut phaleris gauderet ecus caelataque cassis  
Romuleae simulacra ferae mansuescere iussae  
imperii fato, geminos sub rupe Quirinos, 105  
ac nudam effigiem clipeo uenientis et hasta  
pendentisque dei perituro ostenderet hosti.  
Ponebant igitur Tusco farrata catino.  
Argenti quod erat, solis fulgebat in armis.  
Omnia tunc, quibus inuideas si liuidulus sis. 110  
Templorum quoque maiestas praesentior, et uox  
nocte fere media medianque audita per urbem  
litore ab Oceani Gallis uenientibus et dis  
officium uatis peragentibus. His monuit nos,  
hanc rebus Latiis curam praestare solebat 115  
fictilis et nullo uiolatus Iuppiter auro.  
Illa domi natas nostraque ex arbore mensas  
tempora uiderunt; hos lignum stabat ad usus,  
annosam si forte nucem deiecerat eurus.  
At nunc diuitibus cenandi nulla uoluptas, 120  
nil rhombus, nil damma sapit, putere uidentur  
unguenta atque rosae, latos nisi sustinet orbes  
grande ebur et magno sublimis pardus hiatu  
dentibus ex illis quos mittit porta Syenes  
et Mauri celeres et Mauro obscurior Indus 125  
et quos deposuit Nabataeo belua saltu  
iam nimios capitique graues. Hinc surgit orexis,